SERENISSIMO
BURGUNDIÆ DUCI
GALLIARUM DELPHINI FILIO
CHRISTIANISSIMI REGIS
LUDOVICI XV. NEPOTI.

GENETHLIACON.

NASCERE MAGNE PUER; plaudens Te ſuſcipit Orbis;
Gallia Te fauſtis protulit Auſpiciis.
Heroum Soboles, centum ſate ſanguine Regum,
BORBONIDÚM nova ſpes, naſcere MAGNE PUER.
Te GENITOR mitis, Te formoſiſſima MATER,
Te ſummo è Solii culmine ſpectat AVUS;
Seque inter certant, quis Te mage diligat; aut quem
Majori afficias PARVULE lætitia.
Unanimes ſed certè omnes Altaria circum
Pro capite effundunt Vota, Preceſque Tuo.
Et meritò; quot enim pavido affers commoda mundo!
Quot procul, exoriens, cogis abire metus!
Exulat anguineos Diſcordia ſciſſa capillos,
Extinctam & fruſtrà quaſſat utrinque facem.

At

At contra nitido ridet placidiſſima vultu,
Dum rerum trepidos Pax recreat Populos.
Europa hinc omnis venienti erepta periclo
Plaudit, & ad Cunas currit anhela tuas.
Anteit, & Socias prævertit Gallia, ſeque
Projicit ante Tuos læta, tremenſque Pedes.
Gaudia mox illic ſua fletibus intermiſcens,
O', ait, ò Votis ſæpe petite meis!
Progenies Regum non inficianda meorum!
Te ſuperi, Votis Te tribuere meis.
Advocat intereà Regales Sequana Fratres,
Lætitiæ in partem quos velit eſſe ſuæ.
Hinc Liger, hinc Rodhanus, ſpumanti hinc amne Garumna,
Fluviorum fremit hinc magna, minorque manus.
Pars Auſtrum, pars Occaſum, pars vergit ad Arcton;
Salſas læti omnes ingrediuntur aquas.
Plauſibus Oceanus; ſonat omne & plauſibus æquor,
Quod Lybiam, quod noſtram alluit Italiam.
Excitus ut, quod erat præſenſit Tibris, utràque
Implicitas Lauris amovet aure comas.
Mox totam lætis implet clamoribus Urbem;
Perque Fora effuſis penè cucurrit aquis.
Gaudia continuò oſtentant Populuſque, Patreſque;
Gaudia perque vias, Gaudia perque domos.
Sint Superis Grates; ſua ſunt ſolemnia Templis.
Omnia lætitià fervere viſa novà.

Nem-